GRUPEL

DE SATIRAE ROMANAE ORIGINE
ET PROGRESSU


Königl. Friedrich-Wilhelms-Gymnasium zu Posen.

XLIX.

DE SATIRAE ROMANAE ORIGINE ET PROGRESSU

DISPUTAVIT

B. GRUBEL.



1883. Progr. Nr. 143.

Posen, 1883.
Merzbach'sche Buchdruckerei.

Quamquam in saturae Romanae origine atque indole explananda iam multi viri docti operam suam collocaverunt, tamen suo iure Teuffel in Roman. litt. hist. p. 6 ed. III. de satura omnia adhuc obscura atque incerta esse contendit. Et sunt complures causae, quae in hoc ipsum litterarum Romanarum genus inquirentibus nobis non vulgares afferant difficultates, primum quod, si veterum ipsorum auctoritatem requiras, testimonia eorum plane desideramus — de Varrone inprimis cogitamus, qui cum aliis locis tum in eis libris, quos „de originibus scaenicis" et „de compositione saturae" conscripsit, multa huc spectantia attulisse putandus est — deinde universae quaestioni illud haud parvam intulit obscuritatem eiusque naturam satis impeditam effecit, quod posteriorum temporum grammatici, veris saturae originibus iam tum parum intellectis, recentioris satiricae poesis indole inducti vera falsaque mixta ac difficiliter diiudicanda nobis tradiderunt. Quod ipsum in multos eos cadit, qui nostris temporibus de satura egerunt et saturae reliquiis testimoniisque Romanorum omnium posthabitis nostram modo recentiorum de satura cogitationem respexerunt.

Sed ut iam ad rem ipsam aggrediamur, hoc in capite disputationis nostrae collocandum esse videtur, viros doctos fere omnes nullo modo dubitandum esse putare, quin satura tota sit vere Romana Romanoque ingenio utique adiudicanda, atque hoc cum et tota eius indole postea explicanda satis eluceat, tum certissimos eius rei auctores esse Horatium Serm. I. 10. 66. (ubi saturam Graecis intactum carmen appellat) et Quintilianum x. 1. 93 (satura tota nostra est). Quamquam non defuerunt, qui nominum similitudine sine dubio adducti saturam Romanorum a Graecorum dramate satyrico derivandam esse voluerint; sed eorum errorem iam Js. Casaubonus in illo libro reiecit, qui inscribitur „de satyrica Graecorum poesi et Romanorum satura libri II. Paris 1605. Hal. 1774. Etenim eorum testimoniis eo plus tribuamus oportet, quod scriptores Romani multis locis omnia litterarum artiumque genera a Graecis se accepisse profitentur, accepta superasse contendunt; et ne vocabulis quidem commune quidquam inesse facile inde efficitur, quod *σάτυρος* cum *τίτυρος* nobis comparantibus *σα* quasi quoddam praefixum esse elucet, cum in satura sa — ipsius sit vocabuli radicis. Id quod nos perducit ad disputationem de vi atque interpretatione saturae vocabuli constituenda, siquidem ea cum quaestione de origine saturae Romanorum habenda artissime vinculis coniuncta est.

Quodsi, quid de ea veteres senserint, interrogamus, Varronis libri, qui huc spectant, aetatem non tulerunt, grammatici vero posteriores in eiusmodi tenebris versantur, ut in iis, si ab erroris laqueis cavere volumus, acquiescere nullo pacto possimus. Qui quantum iam illis temporibus

verum dignoscere non potuerint, commonstrat Diomedes, qui p. 485 K. haec tradit: satira autem dicta sive a Satyris, quod similiter in hoc carmine ridiculae res pudendaeque dicuntur, quae velut a satyris proferuntur et fiunt: sive satura a lance, quae referta variis multisque primitiis in sacro apud priscos dis inferebatur et a copia ac saturitate rei satura vocabatur, sive a quodam genere farciminis, quod multis rebus refertum saturam dicit Varro vocitatum ... alii autem dictum putant a lege satura, quae uno rogatu multa simul comprehendit, quod scilicet et satura carmine multa simul poëmata comprehenduntur. Conferre liceat Schol. Hor. I. 1. init.: Satira dicitur lancis genus, tractum a choro Liberi patris; ab ea autem lance, quae plena diversis frugibus in templum Cereris inferebatur, nomen accepisse plerique dicunt. Isidor. Origg V, 16.: Satyra vero lex, quae de plurimis simul rebus eloquitur, dicta a copia rerum et quasi a saturitate, unde et satyras scribere est varia poïmata condere. ut Horatii, Juvenalis, Persii. Plures eiusmodi locos afferre possum, sed nihil novi ad nostram causam redundat. In iis autem, quos attulimus, quamquam facile perspicitur nihil inesse nisi hariolationes et coniecturas a grammaticis saturae posterioris indole inductis factas, hoc tamen omnibus commune inesse cernimus, ut saturae voce mixti quiddam et ex variis argumentis compositi significari velint, sive eam ad lancis sive ad legis saturae similitudinem appellatam esse statuimus. Idem Festus quoque p. 315, sed is paulo clarius his verbis affirmat: satura et cibi genus dicitur ex variis rebus conditum et lex multis aliis conferta legibus et genus carminis, ubi de multis rebus disputatur. Quod quin ex Verrio Flacco sumpserit, vix videtur dubitandum esse, et dubito, an Varronem quoque, quem ille exscripsit, eam comprobasse derivationem nobis conicere liceat. Adde quod praeter Livium VII, 2. 5 et Valerium Maximum III, 4. 4 ex optimis scriptoribus unus Sallustius habet Jug. XXIX, 5 — quasi per saturam sententiis exquisitis — ubi per saturam idem valet, quod sine ordine.

Qui nostris temporibus saturam tractaverunt, plerique loci Liviani saepisse agitati VII, 2 auctoritatem secuti, ubi a iuvenibus saturae impletae modis peractae esse traduntur, originem saturae Romanae a ludis scaenicis repetendam esse censuerunt eamque vel ab argumentorum varietate vel ab eo nominatam opinati sunt, quia in farraginis modum cantum, saltationem, modos, diverbia promiscue continerent. Aliam explicationem commendavit A. W. Schlegel (Vorl. über dramat. Kunst Tl. II. S. 8) quae saturae cum Saturni cognatione nititur ita, ut saturae ludi fuerint a iuvenibus in Saturni honorem Saturnalibus editi. Sed licet verum sit non obstare, quod in satura prima syllaba brevis, in Saturno producta sit, (Ritschl, de fictilibus litteratis Latinorum antiquissimis Bonn 1859 p. 9. Merkel prolegg. ad Ovid. Fast. p. 230) tamen fidem ei denegabimus et quod res aliunde probari non potest et quod mirum sane esset nullam eius rei mentionem fecisse, qui de Saturnalibus conscripserunt. Nec magis Zell et Corssen placent, qui cum et ipsi a lance satura saturae vocem derivandam esse arbitrentur, ita eam interpretantur, ut praeter ipsam patinam frugibus repletam farraginem precum et carminum, qua illa delata sit, intellegant. Mommsen denique saturam intellegit Mummenschanz der vollen Leute eamque inde esse vocatam, quod iuvenes festis diebus cibi ac vini saturitate impellerentur, ut personati cum risu et ioco soluto per vicos commissarentur, unde postea ipsi commissationi saturae nomen inditum sit. Nititur sine dubio vir doctissimus Acronis ad Horat. Sat. I. 1. 1. adnotatione: Alii rursum (satiram dictam putant) quod ita convicia et crimina hominum libere invadat, ut saturi i. e. ebrii solent dicteriis aut

contumeliis afficere. Quocum conferendus est Isidorus Origg. VIII. 7. 8. Satyrici autem dicuntur, sive quod pleni sunt omni facundia, sive a saturitate et copia . . . . . . seu ab illa lance — aut a satyris nomen dictum, qui inulta habent ea, quae per vi(n)olentiam dicuntur.

Sed iam Livium ipsum audiamus, qui VII, 2. postquam narravit a. u. c. 391 ad vim pestilentiae obortae levandam inter alia coelestis irae placamina ludos scaenicos tum primum ludionibus ex Etruria accitis institutos esse, haec habet: Imitari deinde eos iuventus, simul inconditis inter se iocularia fundentes versibus, coepere; nec absoni a voce motus erant. Accepta itaque res saepiusque usurpando excitata. Vernaculis artificibus — nomen histrionibus inditum, qui non, sicut ante, Fescennino versu similem incompositum temere ac rudem alternis iaciebant, sed impletas modis saturas descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragebant. Livius post aliquot annis — a saturis ausus est primus argumento fabulam serere. — Postquam lege hac fabularum ab risu ac soluto ioco res avocabatur et ludus in artem paullatim verterat, iuventus histrionibus fabellarum actu relicto ipsa inter se more antiquo ridicula intexta versibus iactitare coepit; quae exodia postea appellata consertaque fabellis potissimum Atellanis sunt. Res in eandem sententiam enarrata exstat apud Val. Maxim. II. 4 et Plut. Quaest. Rom. c. 117 (Orosius 1. 3. c. 4.) Ex totius autem loci contextu nonne primo aspectu satis apparet, nihil Livium referre nisi ea, quae grammaticus aliquis coniectura eis temporibus assecutus est, cum memoria primae inventionis longo intervallo obscurata ac dissoni rumores variis rumoribus et novis fabulis locum praeberent? Quem auctorem secutus sit, Livium non dicere valde dolemus, sed vix res mutatur, si ipsum Varronem eum secutum esse statuamus. Equidem mihi persuasi cum O Jahnio (Hermes II. p. 225) narrationem illam a Livii auctore, quicunque fuit, ad eum tantummodo finem confictam esse, ut duorum institutorum, quae ipsius temporibus in usu essent, causam rationemque, cum aliter omnia incerta essent, demonstraret. Quorum alterum singulare illud institutum antiquitus receptum erat, ut histrionibus ad manum cantaretur, cuius originem cum aliter rem expedire non posset, fabula illa de Livio Andronico narrata interpetrari conatus est, nempe eum, cum suorum carminum actor saepius revocatus vocem obtudisset, venia petita puerum ad canendum ante tibicinem statuisse et ipsum canticum egisse. Neque minus viri docti iam primo a. Chr. saeculo laboravisse putandi sunt, unde alterius moris causa repetenda esset, ut Atellanarum actores neque personas capiti detrahere cogerentur nec tribu moverentur nec stipendia merere prohiberentur, quae omnia in ceteros histriones cecidisse constat. (Quam quaestionem grammaticos agitavisse ex Festo p. 217. s. v. personata fab. elucet.) Atque ille, quo Livius usus est auctore, cum in eadem difficultate haereret, ex ea hac ratione se eripere conatus est, ut toto genere disiungeret prisca illa iuventutis Romanae ioca temere iactata et histrionum Tuscorum actionem ad artis paene formam conformatam. Postea vero fabularum a Livio Andr. primum editarum legem ipsam postulavisse fingit, ut ad ludiones actio rediret, qui ea qaestum facerent, indeque ex illo tempore ridicula illa versibus intexta, quae iuvenes nullo modo abicere vellent, post editas fabulas in scaena esse peracta, ut exodiorum nomine appellarentur; mox autem ea cum Atellanis Atella a. 211. a. Chr. n. capta in Latium inductis conserta esse, id quod, si recte conserendi vim intelleximus, nihil aliud significare potest, quam ridicula illa sine ordine et temere usque ad illud tempus iactata ad unum argumentum accommodata esse secundum Atellanarum exemplar harumque personas atque actiones ad illas translatas. Hac sunt illae

hariolationes satis acute factae, sed aliunde nihil comprobandae, quibus ille auctor rem extricavisse sibi videtur. Quodsi ipsam illius loci Liviani auctoritatem reicimus, sequitur, ut omnia improbemus quae inde viri docti elicere se posse existimaverunt. Inprimis toto corpore atque omnibus ungulis, ut dicitur, repugnemus oportet, quominus ex vulgata sententia saturam initio scaenicae poesis genus et quidem comoediae quandam speciem habuisse statuatur. Etenim si Livium denuo respicimus, nonne ne ex eo quidem illud conici posse apparet, quippe qui hoc tantummodo claris verbis dicat, Andronicum, cum primus argumento fabulam serere auderet, uno gradu progressum esse ab illis modis, quos iuvenes descripto iam ad tibicinem cantu motuque congruenti peragere consuevissent; modos autem peragere idem est atque canticum agere, et ut lanx referta variis multisque primitiis satura appellabatur, ita a Livio collectionem aliquam variorum multorumque modorum saturam impletis modis proprie vocari potuisse, quis est, quin concedat? Accedit, quod neque satiricae poesis, quae aetatem tulerunt, omnes reliquiae dramatici quicquam prae se ferunt neque ab ullo scriptore saturam in scaenam editam esse accepimus; cui argumento minime obstat, quod grammatici quidam posteriores saturarum nomine aliquas fabulas appellaverunt, velut Attam, quem togatarum auctorem clarissimum fuisse scimus, saturam edidisse ostendit Isid. Origg. 6. 9. Ribb. com. p. 693 idemque de Pomponio, qui Atellanas conscripsit, confirmat Prisc. 6, 2. Sed nihil eos ad eam rem afferre censeo, qui vel calami lapsu erraverunt vel Graecorum drama satyricum falso respexerunt.

Quoniam nullam prorsus inter saturam et scaenicam Romanorum poesin rationem intercedere effecimus, id quod facere non possumus, quin iterum ac saepius praedicemus, eiusque id maxime proprium fuisse demonstravimus, ut certo argumento destituta rerum copia abundaret, iam, ne omnia negare videamur, ad veram saturae Romanae originem eiusque historiam describendam progrediamur. Atque hic a fontium perscrutatione proficiscendum nec ab eis recedendum nobis est, nisi evenit, ut manifestis argumentis eorum fides refellatur.

Ac Diomedes quidem haec narrat p. 485, 30. K.: Satira dicitur carmen apud Romanos nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius et Horatius et Persius. at olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius. Quibus verbis hoc eum dicere liquet satiras esse a Lucilio et Horatio et Persio scriptas, sed eas intelligendas carmina maledica et ad carpenda hominum vitia composita totoque genere distantes ab iis, quas Ennius conscripserit, utpote quae nihil nisi carmina ex variis poematis constantia fuerint. Manifesto igitur a Diomede duo saturarum genera discernuntur adeo sui dissimilia, ut vix quicquam praeter nomen commune habeant, quorum alterum Ennianam satiram, alterum Lucilianam appellare liceat. Nec non Horatium idem sentire videmus et in saturae indole describenda et in inventore huius generis statuendo, qui cum de Ennio, ut exemplari suo, ne verbo quidem mentionem faciat, id quod in differentia inter utrumque poetam positum necesse est, sat. I. 1. 59. haec habet:

quid? cum est Lucilius ausus
Primus in hunc operis componere carmina morem
Detrahere et pellem etc.

et sat. I. 10. 64 de se et Lucilio praedicat:

Hoc erat, experto frustra Varrone Atacino
Atque quibusdam aliis, melius quod scribere possem
Inventore minor.

Sed sunt, qui, cum Horatius his versibus Lucilium primum saturas scripsisse aperte doceat, cum in errore versari putent Enniumque inventorem saturae alio Horatii loco sat. I. 10. 64. comprobare studeant, ubi hi versus exstant:

Comis et urbanus fuerit limatior idem
Quam rudis et Graecis intacti carminis auctor.
Quamque poetarum seniorum turba,

quos ad Ennium referunt. Sed Horatium sibi ipsi repugnare, quod inde efficere volunt, nullo modo credendum est, praesertim cum alii quoque scriptores Romani Lucilium inventorem saturae fuisse tradant, quorum testes longe gravissimi sunt Quint. X. 1. 93. qui ‚satura quidem', inquit, ‚tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius', et Plinius, cum in praef. Hist. Nat. scribit: Lucilius primus stili nasum condidit. Quid? quod ipsae quoque saturarum reliquiae obstant, ex quibus cum Lucilianis comparatis satis apparebit indolem earum longe aliam fuisse atque Lucilii posteriorumque satiricorum, id quod optime ex Horatii loco sat. II. 1. 62—70 elucet, ubi Lucilianae saturae ingenium descripsit. Quare conciliandum potius utrumque locum Horatianum ex vera interpretatione esse recte vidit C. F. Hermannus (Progr. acad. Marb. 1841) qui „auctorem" notionem idem valere ratus quod inventorem, particulae „quam" non vulgarem comparandi vim attribuit, sed eam, quae Graecorum copulationi particularum ἢ κατὰ i. e. pro ratione respondeat, ita ut totus locus Germanice ita interpretandus evadat: Mag Lucilius immerhin geglätteter gewesen sein, als man von dem Verfasser eines noch unbearbeiteten und von den Griechen noch unberührten Stoffes erwartet. Alii ut Crainius et Ribbeckius eum intelligi volunt, qui primus saturniis versibus carmen composuerit, et Riese de Livio Andronico cogitat. (conf. Riese, M. Terentii Varronis saturarum Menipp. reliqu. praef. p. 5 et Petermann, De satirae Romanae auctore, Hirschberg 1846). Sed utut est, nullo pacto Ennius eius saturarum generis inventor dici potest, quod Horatium notasse apertum est. Quare vocabulum inventoris saturae non tam ad universum genus saturae referendum est, quam ad singulare quoddam genus, quod primus Lucilius invenit quodque imitati sunt expoliveruntque ii, qui post Lucilium saturas scripserunt, Horatius, Persius, Iuvenalis, recteque hoc poesis genus Graecis intactum dici potuit, cum nihil usquam apud Graecos reperiatur simile, id quod in Ennianam saturam haud omnino cadere infra videbimus.

Ac praeter duo illa saturae genera, quae Diomedem significare vidimus, etiam tertium Quintilianus postulare videtur, cum institut. orat. X. 1. 93 haec habet: Satira quidem tota nostra est, in qua primus insignem laudem adeptus est Lucilius — multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit — alterum illud etiam prius satirae genus sed non sola carminum varietate mixtum condidit Terentius Varro, vir Romanorum peritissimus. Quae cum eis, quae Diomedes l. c. prodidit, comparata in Luciliano quidem genere enarrando inter se consentiunt, de altera autem parte quae proferunt, ea ad res omnino diversas spectant, cum Diomedes Lucilianae saturae

carmen, quale scripserunt Pacuvius et Ennius, Quintilianus alterum illud genus a Varrone conditum opponit, ita ut nihil reliquum sit, nisi ut tria omnino saturarum genera exstitisse coniciendum sit, quorum unum, quod est Lucilianum, ab utroque teste, a singulis reliqua duo afferantur. Ac sane iam omnia plana essent, nisi apud Quintilianum haec verba intercederent „alterum illud etiam prius satirae genus", ita ut illud a Varrone conditum genus antiquius dicatur, quam, Lucilii, quem Varronem aetate multo antecessisse constat. Quare Riese (M. T. Varronis sat. Menipp. reliqu. praef. p. 3.) adductus est, ut in illis verbis, „etiam prius" corruptelam latere contenderet et etiam verius satirae genus et non sola carminum varietate mixtum scribi vellet. Et verbis „non sola carminum varietate mixtum" ad Lucilianam saturam relatis Quintilianum intellegit hoc tamquam signum notamque Varroniani generis constituisse, ut non sola esset carminum varietate mixtum, unde necessario consequi opinatur, ut alterum illud genus a Lucilio aliisque cultum, quod iam ante Varronianum descriptum est, sola carminum varietate fuerit compositum. Sed huic quidem sententiae ego quidem adstipulari non possum. Ac primum quidem ad recte ea, quae Quintilianus prodidit, interpretanda non parvi momenti esse mihi videtur, quod utramque et Quintiliani et Diomedis descriptionem, quoniam hunc ex Suetonianis potissimum copiis sua hausisse O. Jahnius in museo rhenano IX., 629 monstravit, eodem fere tempore factam esse statuendum est. Deinde illa verba „sed non sola carminum varietate mixtum", cum Lucilius plerumque, Horatius et Persius in saturis ubique usi sint hexametris, non ad Lucilianam saturam, sed ad Ennii et Pacuvii saturas referenda sunt, quas ex variis poematis constitisse Diomedes prodidit, ita ut Varronis genus non sola carminum, sed etiam metrorum cum prosaria oratione coniunctorum varietate mixtum fuerit, quale revera fuisse constat. Quae si recte demonstravimus, illud prius saturae genus aut de Menippi cynici scriptis, quem Varronem secutum esse notum est, aut de Ennii satura intellegendum est, ita ut pedestri sermone adiecto Varro novum quoddam saturae genus invenerit vel condiderit. Atque in unum Ennianam Varroniamque saturam confundi Quintilianus l. c. non vetat, Horatius autem iubere videtur, quem suae saturae inventorem Lucilium statuisse, Ennii autem et Varronis saturae, quippe quae plane diversi generis esset, nunquam mentionem fecisse videamus. Jam ad ea, quae hactenus disputavimus, plus auctoritatis ac fidei accedet, si reliquias saturae Romanae, quotquot aetatem tulerunt, optime cum iis consentire aut non repugnare viderimus. Proinde nos accingamus ad eas ipsas accuratius pertractandas atque examinandas.

Ac primo loco de Ennii saturis agamus oportet, cum auctoris satiricae poesis ante eum ne fama quidem ad nos perlata sit. Eum quattuor saturarum libros reliquisse testis est Porphyrio ad Horat. sat. I. 10. 46; sextum librum Donatus citat ad Terent. Phorm. II. 2. 25. Ex ipsis fragmentis, quae 46 numero supersunt, in saturarum libris metrorum varietatem exstitisse primo obtutu animadvertimus. Ita ex libro secundo fragmentum hexametris descriptum Servius, alterumque quadrato versu factum Nonius servavit; itidem tertii libri fragmenta senariis conscripta duo, hexametris unum Nonius exhibet. Nec minus argumentorum varietas facile cognoscitur. Etenim Quintilianus IX, 2. dicit Ennium Mortem et Vitam in satura contendentes tradidisse, et fabulas in iis tractatas esse apparet ex Gellii lib. II, 29, ubi Aesopi fabulam de cassita, qua hominum levitas castigatur nimiam fiduciam in aliis collocantium saturis scite admodum et venuste versibus qua-

dratis Ennium composuisse tradit, quorum duo posteriores isti fuerint, quos habere cordi et memoriae pretium sit:

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm:
Ne quid exspectes amicos quod tute agere possies.

Huic argumento aliud simile laudat idem Gellius XVIII, 2, et Nonius s. v. criminat ex Ennii sat. III:

Nam is non bene tibi vult, qui falso criminat.

et fragmentum incerti loci 6:

Subulo quondam marinas propter adstabat plagas

nos ad Herodoti narrationem 1, 141 delegat. Luxuriosi denique vel dissoluti hominis imaginem pinxit versibus illis, qui a Donato ad Terent. Phorm. II. 2. 25. ex sexto (?) libro servati sunt. Ac propter haec moralia quae vocant argumenta sive praecepta morum Bernhardy in Rom. hist. litt. p. 144 non immerito videtur etiam Praecepta vel Protreptica in saturarum numerum rettulisse. Facile adduceremus, ut iisdem Sotam et Heduphagetica Ennii tribueremus, nisi minus de iis constaret, quam ut certi quicquam affirmare liceat. Namque cum de illo nihil prorsus nisi inscriptionem noverimus, ex his unum tantummodo fragmentum apud Apuleium exstat atque id nullius momenti. Nec meliore loco res est de carmine illo didactico de rerum natura, quod Epicharmi nomine inscriptum est, et de Euhemeri sacra historia, quam Ennium in latinum elogium vertisse Augustinus prodit. Scipio quidem Ennianus, quippe cuius fragmenta exstent trochaica duo et hexameter unus, a Vahleno in prolegg. Enn. poes. rell. p. 84. inter saturas refertur, sed quod librum, qui Scipio inscribitur, Gellius IV, 7. dicit, ita ut totum aliquem saturarum librum eum occupasse appareat, qui poemata varii et generis et metri, sed quae ad Scipionem Africanum omnia pertinerent, continuit, verisimile videtur quattuor saturarum libros Ennium composuisse, qui Praecepta, Epicharmus, Scipio, Sota inscriberentur (cf. Iltgen, Luciliauea. Bonn 1865.) Atque cum varia singulis libris metra infuerint, saturaeque illae non longissimae fuisse putandae sint velut illa quadratis versibus scripta, cuius argumentum Gellius II, 29. narrat, singulis saturis singula metra respondisse statuendum est (cf. Riese l. c.) Nec dubium est, quin inde ab Ennio et per eum saturarum nomen a saturitate atque copia deduci et vulgo usurpari coeptum sit.

Pacuvii, qui erat filius sororis Ennii, saturae, quales fuerint, plane ignoramus, cum de iis praeter Diomedis unicum testimonium, qua eas aeque atque Ennii saturas ex variis poematis constitisse audimus, nihil, quantum scio, apud veteres exstet.

Iam si ad Lucilii triginta saturarum libros accedimus, statim videmus eas cum Ennii praeter nomen vix quicquam commune habere. Nam si metrorum varietatem spectas, hexametrum versum plerumque adhibuit, quo quidem unico in omnibus usque ad vigesimum tertium libris et in undetricesimo et tricesimo usus est, ita ut, quamquam in reliquis alia quoque metra adscivit velut in l. XX disticha elegiaca, in l. XXVI et XVII vers. tetram. troch., in l. XXVIII vers. iamb. trim. in l. XXIX alternis vicibus vers. tetram. troch. et iamb. trim., tamen, summam rem si spectas, inter dactylicos poetas Lucilius ponendus sit et in re metrica Horatio posterioribusque exemplar fuerit. Argumentorum autem et varietate et natura ab Ennio summopere distat. In eius enim

saturis de omnibus fere rebus agebatur, neque ulla res, qua hominum mentes occupari possunt, aberat. Quod nisi ex fragmentis colligi posset, iam ex Horatii loco II. 1. 30. coniciendum esset.

Ille velut fidis arcana sodalibus olim
Credebat libris, neque, si male cesserat, usquam
Decurrens alio, neque, si bene: quo fit, ut omnis
Votiva pateat veluti descripta tabella
Vita senis.

Ita in nono saturarum libro Accium poetam impugnans de orthographia, prosodia aliisque rebus grammaticis agit. In tertio libro descriptio itineris inest, quod Roma fecit Capuam et inde ad fretum usque Siciliense. Quae in itinere expertus esset, ea videtur iocose exposuisse (cf. Horat. sat. 1. 5.) Porro in saturis veterum poetarum carmina emendasse et vituperasse traditur et nobiles Romanorum, quorum mores corrupti essent, summa cum acerbitate nominatim perstrinxisse. (Horat sat. II. 1. 63.) Tum ipsum luxuriam Romae divitiis ex Asia advectis et copia terrestrium maritimarumque rerum invitatam immodestius processisse Romanosque a maiorum continentia recedentes ad summam insolentiam prolabi coepisse scimus. Atque in haec vitia, inprimis in luxuriam et sumptus conviviorum effusos Lucilius acerrimis verbis saturis suis invehitur. Qua re impugnat avaritiam, commendat parsimoniam, demonstrat in virtute sola vitam beatam esse positam neque quicquam in mundo esse perfectum et praestare paucis placere quam multitudini eruditionis experti, vituperat hominum astutiam et fallaciam, describit aerumnas vitae coniugalis, perstringit superstitionem multitudinis. In libro denique primo facete describit consilium deorum, quo Lupus quidam accusatur.

Huc accedit, quod plane diversa ratio voluntasque in conscribendo utriusque fuisse apparet. Etenim Ennius docere et delectare contentus in saturis aeque atque in fabulis suis ad mores omnia refert et ubivis id agit, ut praecepta ad recte vivendum utilia det, unde fit, ut ludibria et iocosa omnino desiderentur. Lucilius vero eam rationem ingressus est, ut varia hominum vitia et errores ubique insectetur eaque aut hilaritate quadam ridendi oppugnet aut agresti et inurbana dicacitate castiget. Isque tanta linguae libertate res perstrinxit et homines laceravit, quantam poetae tantummodo veteris Atticorum comoediae sibi assumpserunt, id quod posteriorum nemini aeque contigit, sed illi etiamtum per leges Romanas et quod amplissimo equitum ordine oriundus erat, licebat. Atque in eam sententiam Horat. sat. I. 4. inquit:

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,
Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,
Mutatis tantum pedibus numerisque: facetus,
Emunctae naris, durus componere versus,

idemque l. s. c. II. 1. 62—70. Et quod ita mores studiaque hominum, quales illis temporibus erant, arguta imagine expressit, effecit, ut etiam posteri id litterarum genus amplecterentur et excolerent nec post compluria saecula deessent, qui saturam Lucilianam summopere admirarentur,

cuius rei testis est Quint. X. 1. 93. Sed ut quisque populus maiore iure et libertate utitur, ita saturae copia et licentia maior est. Mox aurea illa aetatis Lucilianae libertas exstincta erat et moribus ipsis mutatis fieri non potuit, quin etiam saturarum, quae illos depingebant, indoles paullum immutaretur; itaque quid mirum, si iam Horatius, qui aetate proximus est, multo magis ii, qui sub imperatoribus viguerunt saturarum scriptores, paulo aliter de rebus publicis ac privatis iudicaverunt et ad maiorem lenitatem inclinaverunt, licet a ceteris partibus Lucilii vestigia premant eiusque exemplum imitentur? Sed iam satis apparere existimo unum Lucilium inventorem huius saturae generis statuendum esse.

Jam vero, ut ad Varronem transeamus, quem alterum illud etiam prius saturae genus sed non sola carminum varietate mixtum condidisse Quintilianus tradidit, ex catalogo illo Hieronymi videmus eum saturarum Menippearum libros CL conscripsisse, quos enim saturarum libros IV praeter Menippeas catalogus ille enumerat, prorsus neglegendos esse puto, cum indoles ac ratio earum incertissima sit neque discerni ullo modo possit, rectene an casu a CL libris saturarum in catalogo separati sint, licet Ritschelius (mus. rhen. VI. 492.) eas ad alterum genus, quod Lucilius occupaverat, pertinere velit, ita ut Varro in numero ‚quorundam aliorum' habendus sit. qui praeter Atacinum hoc genus ante Horatium frustra temptarunt. (Hor. serm. I. 10. 47.)

Atque in illis saturis Menippum se imitatum esse Varro ipse testatur Testamenti saturae fragmento III, cum dicit: o mea φιλοφθονια (?) natis, quos Menippea haeresis nutricata est, tutores do ‚qui rem Romanam Latiumque augiscere vultis'.

Item Cicero Acad. post. 1, 3. eum Menippum imitatum, non interpretatum saturas quadam hilaritate conspersisse dicit. Erat enim mos cynicorum, ut seria iocosaque lepide permiscerent vel potius, ut ait Horatius, ridendo docerent verum. In eandem sententiam Gellius II. 18. 6. haec habet: ex quibus ille Menippus fuit, cuius libros M. Varro in saturis aemulatus est, quas alii cynicas, ipse appellat Menippeas. Et sane ipse Varro persaepe Menippeus nuncupatur. Cuius appellationis causam rationemque ut declaret, Valerius Probus ad Vergil. VI. 31. pag. 14, 19. Keil. haec profert: Varro, qui sit Menippeus non a magistro, cuius aetas longe praecesserat, nominatus, sed a societate ingenii, quod is quoque omnigeno carmine satiras suas expoliverat. Quae cum parum cum Gellii sententia consentire viderentur, diu dubitatum est, utrum a cynica quadam saturarum indole, id quod Quintilianus vult, an ab omnigeno carmine, id quod Probus sentire videtur, an forte ab his duabus rebus inter se coniunctis Menippei nomen ille asciverit. Et plerique, cum ex reliquiis quamvis mutilis satis constet Varronem saturas suas pedestri sermone conscriptas omnigeno carmine expolivisse, eas, quod prosa versibusque mixtae essent, ab eo appellatas esse judicaverunt, in errore autem versari Probum, quia Menippus aliorum tantummodo versus vel simpliciter usurpavisset, vel sillographorum modo in ridiculum detorsisset. Sed errorem eorum refellit atque reiecit Riese in prolegomenis illis M. T. Varronis saturarum Menippearum. Etenim is certissimis argumentis demonstravit Menippum quoque opuscula sua omnigeno carmine expolivisse, sed Menippearum non tam id proprium fuisse, ut prosa versibusque mixtae essent, quam illud, ut cynica quadam indole insignirentur, ut σπουδογέλοιον genus consectarentur, ut ridendo verum dicere et docere delectando susciperent; idemque Varronem non solum formam Menippi operum imitatum esse, verum etiam ad ipsam eorum indolem suas saturas conformavisse illumque sententiarum quoque ratione attigisse et ex ipsis fragmentis luculentissime effecit et ea

cum Luciani opusculis, quem et ipsum Menippi exemplum secutum esse scimus, comparando. Quodsi quaerimus, qua ratione hoc Varronis saturarum genus a Luciliano discrepet, breviter argumenta et res, quae ille tractavit, spectemus oportet. Ac saturas Menippeas totas in philosophia versatas esse testis est Cicero, qui in Acad. post. I. 2. primum Varronem ipsum dicentem facit, in iis multa admixta fuisse ex intima philosophia, multa dicta dialectice, deinde ipse Varronem allocutus cum philosophiam multis locis inchoasse ad impellendum satis, ad edocendum parum respondet. Idem satis docent fragmenta, licet scissa tantum brevissimaque maximam partem exstent, ex quibus cum stoicae disciplinae sectatores pariter atque Academicos locis haud ita laudatoriis perfundere cognoscimus, ut suo iure atque ea cum reliquis fragmentis convenientia haec scripserit (Eumen. XV.):

Postremo nemo aegrotus quicquam somniat
Tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus.

Cicero quidem cum Antiochi Ascalonitae, magistri sui, vestigia secutum esse prodit. (Acad. post. prooem., epp. ad Att. XIII. 12, 16.) quem novae Academiae stoicorumque placita aliquo modo inter se consociasse notum est. Atque ipse cum (Eumen. XLVIII) „canam Veritatem Atticae philosophiae alumnum“ putet, nonne illam philosophiam laudare videtur, quam e coelo Socrates in terram deduxit in eaque virtutem sectari et vitia fugere neque ullo affectuum impetu animum vinctum turbatumve parare subtilibus philosophorum ambagibus relictis edocemur? Quamquam etiam ipsas philosophorum quaestiones tangit, tamen plerumque in ethica, quam vocamus, disciplina versatus temporis acti laudatoris partes suscipit omnes eos castigans, qui a simplici priscorum Romanorum vita desciverint, a Luciliana autem ratione castigandi prorsus eo distat, quod semper philosophiam respicit atque etiam ea, quae de vita hominum media sumpta sunt, ratione morali tractat, id quod fragmenta aperte docent. Sed haec hactenus. Id certe satis constare videtur Varronis saturam toto genere ab ea, quam Lucilius conscripsit, diversam fuisse, simillimam autem Ennianae atque id maxime interfuisse, quod hic sola metrorum varietate saturas suas condiderit, ita ut nihil obstet, quin illis Quintiliani verbis ‚alterum illud etiam prius genus‘ Varronem cum Ennio tacite confundi statuamus. Nec minus in aperto est, cum Varronem Menippum imitatum esse constet itemque Ennius, si quid sapimus, e Graecis pendeat, Quintilianum, cum Romanorum propriam vindicaret satiram, non Varronianum sed alterum illud genus intellexisse, cuius inventor unus exstitit Lucilius. Et singularis suo genere Varronis satura postea mansit brevique e memoria evanuit, cum Luciliana, Romanis semper maxime accepta, ad senescentis dilabentisque imperii exitum viguerit, ad eamque proxime illa accedit, quam nostris etiamnunc temporibus colimus, nisi quod artioribus paulatim finibus circumscripta evasit.

Et sane multos fuisse, qui Lucilium aemularentur, Varro d. r. r. III. 2. 17. commonstrat, sed male evenit, quod omnium, qui afferuntur auctorum, praeter nomen vix quicquam ad nos pervenit. Velut Lucilii aequalis fuit T. Alcncius, saturarum scriptor, eodemque fere tempore floruit Saevius Nicanor, ille grammaticus, quem Suetonius de ill. grammat. c. V. prodit et alia et saturam scripsisse, in qua libertinum se ac duplici cognomine indicaret. Addendus est Lenaeus, Pompeii Magni libertus, quem idem Suetonius c. XV. Sallustium historicum acerbissima satura lacerasse testis est, fortasse idem, qui in scholiis ad Juvenalem I. 20, Jahn. Lenius nominatur. Atque Ciceronis aetate Varro Atacinus et

quidam alii fuerunt, qui (Horat. sat. I. 10—46.) frustra saturam experti esse dicuntur, eodemque tempore J. Florus, amicus Horatii vixit, de quo Porphyrio in Hor. ep. I. 3. 1: ‚hic Florus fuit saturarum scriptor, cuius sunt electae (electa Ritschl) ex Ennio, Lucilio, Varrone saturae‘, atque ex hoc cum modo collectionem quandam veterum saturarum fecisse coniciendum esse nonnulli putaverunt, sed vetat hoc, quod scriptor saturarum appellatur, et magis adducor, ut eum saturas illorum scriptorum retractavisse et ad suorum temporum rationem adaptavisse credam. Insignem autem laudem post Lucilium primus Horatius adeptus est, qui ita illius exemplum secutus est, ut multo et gloria et arte eum superaverit. Namque cum ei maxime contigerit, ut carminum pariter formam ac materiem ad humanitatem civium suorum paulo politiorem reformaret, tum ab utraque parte praeclare in saturis res ei cessit. Primo eas, quas vidimus etiam tum non certis neque rerum neque formae finibus circumscriptas fuisse, ita commutavit, ut secundum artis praecepta certum rerum ambitum, certam nanciscerentur formam; in qua impensiore opera debuit uti, quod talis ipsius aetate litterarum Romanarum condicio facta erat, ut paene iam minus interesset, quae quisque, quam quo modo diceret. Ac metrum, quo Lucilius praecipue usus erat, Horatius solum retinuit hexametrum dactylicum, rerum autem varietatem ita minuit, ut nihil retineret, nisi quod ad mentem et iudicium magis spectans tranquilliore animo, prudentia, peritia conficeretur. Quae vero tunc quoque rerum mansit copia maxima, eam sic digessit, ut singulis saturis singula argumenta persequeretur, quamquam, ut est in sermone, a proposito interdum aberrat. Adde, quod illa accedit linguae festivitas et facilitas, quae ubique in Horatii carminibus nobis occurrit, ut facile Quintiliano credamus, qui tersiorem multo ac puriorem Lucilio eum appellat. Sed non arte modo perfectiore Horatii saturae a Lucilii saturis aliquantum distant civibusque gratiores erant, verum etiam universa saturae natura atque indole. Licet enim, quam ille praeierat viam secutus et ipse hominum vitia et errores castiget, tamen multum recessit ab ea acerbitate, qua Lucilio suis temporibus uti licuerat et ipse adulescens in iambis suis maledicis usus erat, quibus dolore quodam et fastidio rerum, cum suae condicionis et rei publicae eum maxime poeniteret, incitatus odium et iram expleverat et certos quosdam homines aut vero aut ficto nomine notatos sugillaverat. Non eum fugit multis se visum esse „nimis acrem et ultra legem tendere opus“ (Sat. II. 1. 1.) et libertate amissa saturae quoque licentiam interiisse ideoque, praesertim cum secunda fortunae vicissitudine mollities animi tranquillitatem et aequitatem invenisset, eo perductus est, ut non iam singulos quosdam homines acerbitate laceraret, sed in Menippi cynici modum hilaritate quadam ridendi prava omnia atque perversa impugnaret et moribus aequalium arguta imagine expressis naturae humanae vitaeque discrepantiam castigaret atque hoc eo modo consilio, ut ad honestatem et sanitatem homines revocaret.

Qui post Horatium idem saturae genus Lucilianum coluerunt, Persius et Juvenalis, ne incrementa ei afferent, et linguae ratio et saeculi ipsius indoles impediverunt. Etenim temporum ratione voluntateque a placido et aequabili dictionis flumine, quo Horatius excellens exstitit, traducebantur ad elaboratam concinnitatem et nimiam sententiarum subtilitatem, ut obscuri saepe fiant et difficiles ad intellegendum. Persii porro satura magis philosophica e stoicorum disciplina profecta est eiusque praecepta declamans fere non homines ipsos, sed perversa eorum studia insectatur, ridicule et ioculariter maximam partem nisi quod prologo et prima satura paulo acerbius aequales suos cavillatur. Juvenalis denique saturae salsum admodum hilare et, ut ita dicam, vividum

dicendi genus illae quidem prae se ferunt, sed tamen prorsus alia levitas atque festivitas eius est atque apud Horatium, quod non poëtae ingenio tribuamus, sed illis temporibus oportet, quibus saturas suas conscripsit. Namque cum omnium scelerum labes atque pestis in rempublicam invasisset et maxima ubique vitia dominarentur, Juvenalis facere non potuit, quin maiore linguae acerbitate quam priorum quisquam omnia castigaret; accedit quod indignatione se potius quam ingenii impetu ad saturas conscribendas ductum esse ipse testatur, cum dicit:

Si natura negat, facit indignatio versum
Qualemcunque potest, qualis ego vel Cluvienus.

Quamquam haud scio an non omnia tam immania illis temporibus fuisse putandum sit, quam ipse ea finxerit, cum illud non neglegendum esse videatur, quod rhetorica eum disciplina institum esse nus quam non in obscuro est eiusque praecepta secutus amplificatione quadam nonomnibus locis abstinuit.

Restat, ut eorum paucis mentionem faciamus, qui Varroniani saturarum generis externam formam quodam modo imitati pedestrem sermonem cum versibus miscuerunt. In hoc genere exstat liber ille Senecae, in quo Claudium Caesarem illudit, cum eum post mortem non deorum numero adscriptum, sed in cucurbitas relatum esse vult. Quem quidem librum grammatici saturam nuncupant, ipse ἀποκολοκύντωσιν appellavit. Eiusdem fere temporis Petronii satiricon videtur esse, cuius vix certum potest argumentum certumque reperiri consilium, nisi hoc ipsum statuatur consilium fuisse, ut rerum narratarum varietate sermoneque modo eleganti modo neglegenti semper personis adaptato legentium animi delectarentur. Nec non extremis imperii Romani temporibus Martianus Capella liberalium artium encyclopaediam conscripsit, quam semper saturam nominat. Hoc tamen admonendum est, nisi formae similitudinem inter Varronis et eorum, quos modo nominavimus, scriptorum saturas nihil intercessisse, minimeque eas et ipsas Menippeas appellari posse, quarum non in eo solum, ut prosa versibusque mixtae essent, proprietatem constitisse supra demonstravimus.

Iam ad finem huius disputationis nostrae pervenimus et omnia saturae genera perscrutati satis effecisse nobis videmur nullo modo eorum opinionem probari posse, qui saturam Romanam unum atque integrum genus poesis Romanae artioribus finibus circumscriptum fuisse putent, sed omnia eius genera, quae apud Romanos exstiterint, una mixturae notione cohaerentia ita inter se differre, ut ad indolem saturae recte interpretandam eam, ut logici dicunt, semper a potiore definiamus oporteat. Indeque etiam illud efficitur, ut saturae Romanae historiam deinceps ad temporum ordinem enarrare absurdum sit, immo quae singula eius genera ab inventore incrementa ceperint seorsum necesse sit demonstrari.

Nec minus apparet, ad veram saturae originem indagandam eam solam viam ac rationem ingrediendam esse, ut singulorum auctorum reliquiis excussis quantum quisque e Graecis pendeat, videamus. Quae disquisitio ad finem perducta certis firmamentis efficiet satiricam Romanorum poesin ad cynicorum illud notissimum σπουδογέλοιον tamquam ad fontem et caput esse referendam. Atque in totum hoc genus, quod fuit in cynicorum acuminibus salibusque, παιγνίοις et dialogis novum id novisque istius sectae rationibus ac moribus constitutum altera disputationis nostrae particula, quae alio loco prodibit, inquirere nobis in animo est.

